



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 203. Bonifacii Caetani Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)



ciscus de la Grange Franciæ Marefcal-  
 lus, & Nicolaus Neuvillanus Villare-  
 gius, qui arcanis Regni negotiis per  
 quinquaginta annos summa cum laude  
 usque ad septuagesimum nonum æta-  
 tis suæ annum præfuit. Denique Ni-  
 colaus Montmorencius Estræus Comes,  
 qui Alberto Archiduci supremus ærarii  
 Præfectus erat, Gandavi die decima  
 sexta Maij naturæ debitum solvit,  
 relictis ingenii pietatisque suæ monu-  
 mentis. Scripsit enim *Diurnale pietatis*,  
*Manna absconditum*, *florem campi*, *con-*  
*vivium bipartitum*, *Manuale Principis*, *co-*  
*ronam spiritualem*, & plura alia opuscula.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1617.

§. CCIII.

*Bonifacii Caetani Cardinalis mors.*

Luxit pariter hoc anno Sacrum Pur-  
 puratorum Collegium jacturam duo-  
 rum Cardinalium, quorum primus e-  
 rat Bonifacius Caetanus patria Roma-  
 nus, qui in juventute sua aliquantulum  
 solutiori vitæ indulgens, atque in di-  
 cteriiis mordacissimus, tandem depofi-  
 tis ejusmodi vitiis mores ad Status sui  
 dignitatem composuit: Regnante Cle-  
 mente VIII. nonnisi unicum Cassanen-  
 se Sacerdotium obtinere valuit, eo-  
 quod Petro Cardinali Aldobrandino e-  
 jusdem Pontificis Nepoti apprime in-  
 fensus esset. Ubi vero Paulus V. Apo-  
 stoli-

*Ciacou. in  
 vita Pauli V.*



Sæc. XVII. A. C. 1617. stolicam moderabatur Cathedram, primo Flaminiae Provinciæ Gubernator, ac Presbyter Cardinalis titulo S. Pudencianæ, demum vero Tarentinus Archipræsul creabatur: Præter plurima, quæ PP. Theatinis contulerat, beneficia, suas quoque acerrimi ingenii dotes in Ecclesiæ utilitatem impendere studuit, atque obtenta etiam Purpura ipse in Ecclesia tituli sui, necnon in Ravennatensi Theatinorum Templo magna hominum frequentia conciones ad populum habuit. Tandem Romæ die vigesima nona Junii quinquagenarius animam suam Deo reddidit.

## §. CCIV.

*Bernardi de Sandoval Cardinalis extrema.*

*Maracc. in  
Purp. tom.  
Ciacon. in  
vita Clem.  
VIII.*

Hunc eadem mortis necessitate sequebatur Bernardus de Sandoval & Roias natione Hispanus. Hic ab unguiculis in omnibus virtutum ac pietatis exercitationibus enutritus ad maximam Ecclesiæ spem, & illustrium Parentum gloriam adoleverat. Philosophicis ac Theologicis disciplinis in celeberrimis Hispaniæ Universitatibus probe imbutus, Sacræ militiæ nomen dedit, atque a Christophoro Hispalensi Archiepiscopo Patruo suo in Diæcesani Regi-